

FRANCISCUS Tituli sancti Angeli
in foro Piscium Sacræ Romanæ Ecclesiæ
Diaconus Cardinalis Barberinus Venerabi-
lis Archi confraternitatis sanctissimi Sacra-
menti super Minervam de urbe Protector
Andreas Justinianus Proto-Notarius Apos-
tolicus ex numero participantium , Mar-
chiorum Pompejus Mutus , ac Abbas Fabri-
tius ex Comitibus Guidis à Balneo
Administratores.

D'lectis Confratribus confraternitatis
sanctissimi Corporis Christi olim
erectæ in Parochiali seu aliâ Ecclesiâ
oppidi Lechnich Coloniensis Dicecisis ab-
inde verò in Erpt & Vettwies translatæ salu-
tem in Domino sempiternam , Nos qui
juxta officii nostri debitum fidelium salu-
tem , & pietatis ac religionis progressum
procurare debemus , libenter nostræ Archi-
Confraternitati alias ejusdem instituti Con-
fratres adjungimus , & aggregamus , illisque
sic aggregatis indulgentias , facultates , ali-
asque spirituales gratias & indulta juxta fa-
cultatem Apostolicam Nobis à Summis Pon-
tificibus concessam impartimur ; quâ de re
cum Illustrissimus Dominus Ernestus Zig-
lerius aggregationem hujusmodi , & indul-

C 2

gen.

gentiarum communicationem enixè postulavit , Nos Protector & Administratores prædicti totam ipsam Archiconfraternitatem repræsentantes his nostris literis solo Dei amore , & pietatis ac Religionis augendæ Zelo ducti confraternitatem prædic tam nostræ Archiconfraternitati adjungimus & aggregamus , etiam si similis gratia prius alteri confraternitati in dicto loco concessa fuerit , non obstante constitutione felicissimæ recordationis Clementis PP. VIII. Prohibente pluralitatem confraternitatū ejusdem nominis & instituti in eodem loco ; quæ constitutio locum non habet in confraternitatibus sanctissimi Sacramenti , quæ deberent esse in quâlibet Parochiâ , ut declaravit sacra Congregatio Episcoporum , & Regularium in una Papiense 30. Augusti 1538. & in aliâ Vercellente 3. Februarii 1610. prout in hâc almâ urbe in quâlibet Parochiali Ecclesiâ confraternitas sanctissimi Sacramenti de ordine felicissimæ recordationis Innocentii PP. XII. laudabiliter erecta reperitur , primodictæque illiusque Confratribus , & Consororibus indulgentias , & spirituales gratias infra singillatim descriptas nostræ Archiconfraternitati literis Pontificiis nominatim , expressè , & præcisè concessas elargimur , & communicamus , qua-

rum

rum tenor de verbo ad verbum sequitur ,
& est talis ; à tergo. Dilectis filiis Administrato-
ribus & Confratribus Archiconfraterni-
tatis sanctissimi Corporis Christi in Eccle-
sia Beatæ Mariæ super Minervam de urbe
Ordinis fratrum Prædicatorum canonice in-
stitutæ , intus verò Paulus P. P. V. dilecti
filii salutem & Apostolicam Benedictionem ;
cum certas unicuique Archiconfraternitati
indulgentias , & gratias spirituales , quibus
de cœtero fruantur , duxerimus præscri-
bendas ; idcirco omnes & singulas indul-
gentias , & peccatorum remissiones ac pœ-
nitentiarum relaxationes vestræ Archicon-
fraternitati & illius Confratribus & Conso-
ribus hactenus per quoscunque Romanos
Pontifices Prædecessores Nostros concessas
revocantes & annullantes , ac nullius robo-
ris , & momenti esse declarantes , de om-
nipotentiæ Dei misericordiâ , ac Beatorum
Petri & Pauli Apostolorum ejus authoritate
confisi , omnibus utriusque sexûs Christi
fidelibus , qui dictam Archiconfraterni-
tatem de cœtero ingredientur , die primo
eorum ingressus , si verè pœnitentes , & con-
fessi sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum
sumpserint , plenariam , ac tam ipsis pro
tempore describendis , quam jam descriptis
in dictâ Archiconfraternitate Confratribus

Bruderschaffts-Regulen
 & Consoribus etiam verè pœnitentibus
 & confessis ac sacrâ Communione refectis ,
 qui processioni per dictos Confratres in die
 octavâ Corporis Christi singulis annis fieri
 solitæ devotè interfuerint , dictumque sanc-
 tissimum Sacramentum associaverint , &
 ibi pro Christianorum Principum Concor-
 diâ , hæresum extirpatione , ac sanctæ
 Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum
 preces effuderint , etiam plenariam . Nec
 non etiam iis Confratribus & Consoribus ,
 qui dictæ Processioni cum de ordine dictæ
 Archiconfraternitatis juxta illius constitu-
 tiones impediti sint similiter pœnitentes , &
 confessi minimè interfuerint , ac sanctissi-
 mum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint ,
 & ut præmittitur oraverint , etiam plenariam .

In mortis quoque articulo omnibus utri-
 usque sexus Christi fidelibus dictæ Archi-
 Confraternitati adscriptis , qui pœnitentes
 & confessi , ac sanctissimâ Communione
 refecti , nomen JESU ore , si potuerint ,
 sin autem corde devotè invocaverint , ple-
 nariam similiter omnium peccatorum suo-
 rum indulgentiam & remissionem miseri-
 corditer in Domino concedimus : præte-
 rea iisdem Confratribus verè pœnitentibus ,
 & confessis , qui sanctissimum Eucharistiæ
 Sacramentum in die festo ejusdem sanc-
 tissimi

tissimi Sacramenti sumptuerint , & ut præmittitur oraverint , septem annos & totidem quadragenas ; qui verò officiis divinis ac Processionibus dictæ Archi-Confraternitatis interfuerint centum dies. & qui sextâ feriâ cujuslibet hebdomadæ Ecclesiam Beatæ Mariæ supra Minervam de Urbe Ordinis Fratrum P. ædicatorum devotè visitaverint , & ibi , ut præmittitur , oraverint , similiter centum dies. Ac eisdem Confratribus & Consororibus , qui pœnitentes , & confessi , ac factâ Communione refecti , Processioni in quâlibet tertîâ dominica Mensis , & feriâ quintâ in cœna Domini fieri solitæ interfuerint , & ut præmittitur oraverint , septem annos & totidem quadragenas , & iis Christi fidelibus utriusqne lexus in dicta Archi Confraternitate non descriptis eidem Processioni interessentibus 200. dies , nec non etiam eisdem Confratribus & Consororibus , qui saltem contriti , & confessi in dicta feria quinta in cœna Domini dictum sanctissimum Sacramentum processionaliter comitati fuerint , 100. dies. Qui verò dictum sanctissimum Sacramentum tam ad infirmos quam alias ubicunque & quomodocunque pro tempore deferetur cum lumine , vel sine lumine comitati fuerint , septem annos & totidem

Bruderschaffts-Regulen
 quadragenas , ac Parochis , & omnibus
 Christi fidelibus utriusque sexus , qui præ-
 dictum sanctissimum Sacramentum cum
 lumine vel sine lumine pariter comitati tue-
 rint , quinque annos & totidem quadrage-
 nas , & iis impeditis semel orationem Do-
 minicam & Salutationem Angelicam reci-
 tando & ut præmittitur , orando , cen-
 tum dies. Insuper Mulieribus , quæ justa
 de causa prædictum sanctissimum Sacra-
 mentum non comitatæ fuerint lemel oratio-
 nem Dominicam & salutationem Angelicam
 recitando , & ut præscribitur pro infirmo
 piis ad Deum preces fundendo similiter
 centum dies. ac prædictis confratribus &
 consororibus qui locum , ubi sanctissimum
 Sacramentum aſſervatur in feria quinta in
 cœna Domini visitaverint , & ut præmissum
 est , oraverint , similiter centum dies , de
 injunctis eis seu alias quomodolibet debitis
 pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta re-
 laxamus ; & ulterius vobis ac vestræ Archi-
 Confraternitati ut confratres aggregare , il-
 lisque omnes supradictas indulgentias (ser-
 vatâ tamen formâ tradita in constitutione
 felicissimæ recordationis Clementis PP.
 VIII. prædecessoris nostri super diversarum
 confraternitatum aggregationibus editâ)
 communicare libere & licite possitis , &

va-

valeatis authoritate apostolica tenore præ-
sentium facultatem concedimus & imperti-
mur ; non obstantibus constitutionibus &
ordinationibus apostolicis ceterisque con-
trariis quibuscumque ; præsentibus perpetuis
futuris temporibus valitatis? datum Romæ
apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die
31 Novembris 1606. Pontificatus Nostri
anno secundo ; notumque facimus plena-
riam indulgentiam à prædicto Paulo V.
Summo Pontifice in dicto brevi pro die
octava Corporis Christi concessam à felic.
rec. Innocentio PP. XII pro die veneris
festum ejusdem sanctissimi Corporis Christi
immediate sequenti fuisse translatam , prout
in ejusdem Innocentii literis in simili forma
brevis sub annulo Piscatoris die 27. Septbris
1694. expeditis continetur ; insuper tœli-
cissimæ recordationis PP. X. concessit
confratribus & consororibus confraternita-
tum sanctissimi Corporis Christi associan-
tibus cadavera Christi fidelium defunctorum
indulgentiam centum dierum pro qualibet
vice , prout in ejus literis in simili forma
Brevis apud sanctam Mariam Majorem sub
annulo Piscatoris die 24. Januarii 1673.
pariter continetur ; quibus omnibus indul-
gentiis & spiritualibus gratiis supra singilla-
tim descriptis primodicta confraternitas ,

ejusque contrates uti , potiri , & gaudere possint , juxta prædictam constitutionem Clementis P. P. VIII. cuius tenor in decretis principalibus , & in nostræ Archiconfraternitatis aggregationibus apponi solitus sequitur , & est talis ; Clemens P. P. octavus ad perpetuam rei memoriam ; quæcunque à Sede Apostolica ad promovendam Christi fidelium salutem aliquando concessæ sunt , & si ea maturo consilio , magnâque prudentiâ & cautione sancita , & decreta sint , tamen cum Romanus Pontifex de animarum salute sollicitus , progressu temporis animadvertis sensim aliquos abusus in eisdem Statutis , & Decretis observandis prævenire debet pro sui Pastoralis officii munere illis opportuna ratione occurrere , & quantum cum Domino potest adhibito salutari remedio providere , huic verò confraternitati , & congregationi erigendæ , instituendæ , seu aggregandæ , ea tantum privilegia , indulgentias , facultates , aliasque spirituales gratias , & indulta , quæ ipsi ordini , Religioni , instituto erigenti instituenti ac communicanti , seu Archiconfraternitati & congregationi aggreganti nominatim , & in specie , non autem quæ per extensionem vel communicationem sibi quovis modo concessa sunt , & illa quidem non

non sub generali forma verborum vel ad instar , sed expresse , & in specie communicare valeant , Statuta autem pro regimine ordinum , Religionis , & institutorum erigentium , & instituentium , ac communicantium , seu Archiconfraternitatum & congregationum aggregantium edita confraternitatibus & congregationibus erigendis , instituendis , & aggregandis , & quibus communicationes privilegiorum & aliorum praedictorum sunt impertiri non possint , nisi ea prius ab Episcopo diocesano examinata & pro ratione loci approbata fuerint , quæ nihilominus ejusdem Episcopi decretis , ac moderationi , & correctioni in omnibus semper subiecta remaneant . Quibus etiam Ministris , Officialibus , & aliis praedictis Elemosynas , & alia oblata christianæ charitatis subsidia juxta modum , & formam per ordinarium loci praescribendam , remotis tamen Mensis , Pelvibus , & capsis , quæ in Ecclesiis & Oratoriis dictarum confraternitatum , & congregationum publicè ad hoc exponi consueverunt , excipiendi portestas detur , atque hoc ipsum Ordines , Religiones , instituta erigentia , instituentia ac communicantia , seu Archiconfraternitaires , & congregaciones aggregantes tam Almæ Urbis nostræ , quam aliarum civi-

civitatum , & locorum quorumcunque
juxta modum à Vicario Urbis , & ab ordi-
nariis locorum respectivè præscribendum
observare teneantur ; Elemosynas autem
sic collectas in reparationem & ornatum
Ecclesiarum tam Ordinum Religionum ,
institutorum erigentium, instituentium , &
communicantium , ac Archiconfraterni-
tatum & congregationum aggregantium ,
quam constitutionum & congregationum
erigendarum , instituendarum , & aggre-
gendarum , & quibus communicationes
sient , aut in alios earum pios usus arbitrio
eiusdem Vicariorum locorum respectivè fideliter
exponere atque erogare procurent , ut om-
nes intelligant cœlestes Ecclesiæ Thesauros ,
non quæ sui aut alicujus lucri causa , sed
pietatis , ac charitatis excitandæ gratiâ ,
ex Apostolicæ Sedis benignitate Christi fide-
libus aperiri. *Demum* statuimus , & pariter
ordinamus , ut confraternitates & congre-
gationes ubivis locorum quâvis autoritate ,
ut præmititur erectæ & institutæ , & qui-
bus communicationes prædictæ factæ sunt ,
ac cuicunque ex dictis ordinibus , Religio-
nibus , institutis , Archiconfraterniti-
bus , & congregationibus ubilibet existen-
tibus hactenus aggregatæ , ab iisdem res-
pectivè

pectivè Ordinibus , Religónibus , institutis , Archiconfraternitaribus & congregationibus novas erectionum institutionum , communicationum , & aggregationum literas juxta formam à Nobis novissim è approbatam infra annum , si in Europa sint , & si extra Europam fuerint , infra biennium à die publicationis præsentium in Romanâ Curiâ faciendæ computandos impetrare teneantur , alioquin dicto tempore elapso erectiones , institutiones , & quæcunque communicationes Privilegiorum , facultatum , indulgentiarum , aliarumque spiritualium gratiarum , & indultorum , & aggregationes illarum vigore ipsis concessæ nullius sint roboris & momenti , ac revocatæ & abolitæ censeantur eo ipso . Decernentes prælentes literas perpetuò validas & efficaces existere , & tote , ac ab omnibus & singulis , ad quos spectat , inviolabiliter observari debere , sive nostraræ mentis & intentionis existere , & ita , & non aliter , per quoscunque judices , ordinarios , & delegatos , etiam causarum Palatii Apostolici Auditores , ac Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere legatos sublata eis , & eorum cuilibet quævis aliter judicandi & interpretandi facultate & autoritate judicari & definiri debere ,

ac

Bruderschaffts-Regulen

ac irritum & inane quidquid secūs super
his à quoquam quāvis autoritate scienter
vel ignorantē contigerit attentari ; non
obstantibus quibusvis Constitutionibus ,
& ordinationibus apostolicis , ac quōrum
cunque Ordinum , Religionum , & insti-
tutorum , seu Archiconfraternitatum , con-
gregationum & contraternitatum sēcula-
rium etiam juramento , confirmatione
apostolicā , vel quāvis firmitate aliā robo-
ratis statutis , & consuetudinibus privilegiis
quoque indultis , & literis apostolicis ,
etiam Māte magnum , ac bulla aurea nun-
cupatis Regularibus Ordinibus , Religio-
nibus institutis , seu Archiconfraternitati-
bus , congregationibus , & confraterni-
tatibus sēcularium , earumque superiori-
bus , & aliis quibusvis personis cujuscunque
statūs , gradūs , ordinis , conditionis ,
dignitatis & præminentiae existentibus ,
sub quibuscunque verborum formā & teno-
ribus , ac derogatoriūm derogatoriis ,
aliisque efficacioribus , & intolitis clausu-
lis , nec non irritantib⁹s , & aliis decretis
in genere , & in specie etiam motu proprio
& consistorialiter , & aliās quomodolibet
in commodum præmissorum etiam pluries
concessis , approbatis , & innovatis , qui-
bus omnibus & singulis etiam si pro illorum
luffi-

sufficienti derogatione de illis , eorumque totis tenoribus specialis , specifica , expressa , & individua , non autem per clausulas generales idem importantes mentio , seu quævis alia expressio habenda , aut aliqua alia exquisita forma , ad hoc servanda foret illorum tenores , ac si ad verbum exprimerentur , & infererentur præsentibus pro plenè , & sufficienter expressis ; & insertis habentes , illis aliàs in suo labore permansuris hac vice duntaxat harum serie specialiter & expressè derogamus , ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Pilicatoris die 7. Xbris 1604. Pontificatus Nostri anno 13. volentes & decernentes his nostris literis eandem fidem adhibendam esse , quæ præinsertis literis originalibus adhiberetur , si forent exhibitæ vel ostensæ , in quorum omnium & singulorum fidem , & testimonium has nostras literas exinde fieri , & per nostræ Archiconfraternitatis Secretarium subscribi , & publicati manda- vimus , ac sigillorum ipsius Protectoris , & Archiconfraternitatis jussimus , & feci- mus appensioni muniri ; datum Romæ in loco solito nostræ congregationis anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi 1710.
dio

Bruderschaffts-Regulen
die vero 4^{ta} Mensis Aprilis , Pontificatus
autem sanctissimi in Christo Patris , & Do-
mini Nostri Domini Clementis divinâ pro-
videntiâ PP. XI. Anno ejus X.

(L.S.) Cardinalis Franciscus Bar-
berinus Protector

Pompejus Mutus Papazzuris
Administrator

Fabritius ex Comitibus Guidis à Balneo
Administrator.

Thomas Sporetellus Secretarius.

Publicentur suprascriptæ aggregationes confrat-
ternitatis sacratissimi Rosarii alias in Parochiali Ec-
clesiâ oppidi Lechniacensis erectæ, inde verò in Erpt
translata, nec non communicationis indulgentia-
rum spiritualium gratiarum eidem confraternitati ,
ab Archifraternitate ejusdem Sacratissimi Rosarii su-
pra Minervam in urbe factæ, reservatâ tamen Sere-
nissimo & Reverendissimo Principi Archi-Epi-
copo & Electori Coloniensi , seu ejus Vicario
Generali approbatione seu reformatione statuto-
rum aut regulatum & legum pro Directione & re-
gimine illius conditarum aut condendarum aliis-
que supra insertis clausulis & conditionibus per
omnia salvis. Signatum Coloniae die undecimâ
Aprilis 1722.

J. A. de Reux V G. mp.

De Mandato Reverendissimi Domini Vica-
riii Generi Henr Jansen Proto-Notarius
in Spiritualibus impria

3us